

terrogatus, quid quaereret? respondit: *Homines; tamen non inuento, quia hi, quos video, cum more bestiarum viciant, inter bruta animalia connumerari merentur*: idem etiam, cum agnovisset optimum Lacedaemonum regnum, et republicae eorum praeclearam institutionem, dicebat: *Solae Laecinae viros pariant*: quam egregiam sententiam Deus ipse per Isaiam (c. 59) praemisit, dicens: *Vidi, quia non est vir*. Ad haec, vir (ut docet d. Gregorius) a virtute dicitur, prout idem est *fortis*, quod vir; et ideo ubi nostra Vulgata verit: *Confortare, et esto robustus*: hebraicum originale legit: *Confortare, et esto vir*. Ut ergo evangelista Iosephi excellentiam commendaret, ritum vocal illum, et non maritum, licet aliqui legitimum coniux eius esset. *Iustum* deinde eadem praedicat. *Cum esset iustus*, in quo mira latent Iosephi praecarica: Aristoteles (5. Eth.), Macrobinus (in *somm. Scrip.*), et s. Thomas (2. 2), iustitiam bifariam accipi docere: primo pro virtute specialis iustitiae, cuius munus est, reddere unicuique quod sum est; secundo pro rectitudine animi, quae ex omni virtutum aggregatione coalescit; et in hoc sensu dixit beatus Matthaeus (c. 1): *Cum esset iustus, noluit eam traducere*: sacra eloquia, ut in plurimum, commendant specialem aliquam virtutem in sanctis, quae in eis magis effulsit: simplicitatem animi in Noe, obedientiam in Abraham, patientiam in Iob, orationem in Iosue, fortitudinem in Samson, castitatem in Ioseph, mansuetudinem in David, constantiam in Machabeis, fidem in Petro, amorem in Ioanne, vitam contemplativam in Magdalena, activam in Martha: ac tandem de singulis confessoribus canit Ecclesia: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi*; quia singuli specialia aliqua virtute flourunt: at cum noster Ioseph omni virtutum genere praefulgeret, a iustitia, et rectitudine animi, quae omnes illas complectitur, illum laudat evangelista dicens (Matth. 1): *Ioseph vir eius, cum esset iustus*. Certe vulgari sermone idem pollet iustum, quod aequale, quae acceptio iustitiae satis consentanea esse perhibetur, cum proprium illius sit, facere aequalitatem rei ad rem; unde, cum illud dicatur alteri aequale, quod nec plus, nec minus illo habet; nihil aliud erit esse iustum, quam ita regulae rationis, ac divinae legi adaequari, ut nec per defectum, nec per excessum ab ea deflectat. Quia igitur divus Ioseph divinae voluntati obsequiosissimus semper extitit, et divinae legis regulae toto tempore vitae suae adamussim se conformavit, ideo etiam merito evangelista illum *iustum* vocavit. Illud discrimen interest inter eum, qui iustus calcis instar nobilium, et eum, qui amplius, et lassius instar rusticorum incedit, quod ille, si minimus scrupulus calcis subintret, anxiat, et premittit; ille vero, cuius calcis lati sunt, etiamsi terra, aut palea ingrediatur, nec minimo dolore afficitur; non secus vir iustus, quia arctam habet conscientiam, quicumque etiam venialis peccati scrupulus illam angit; peccator vero, qui latam illam habet, etiamsi terrent affectus, graviaque peccata illam subintrent, nihil illi

facit. Erat igitur noster Ioseph vir iustus a deo, ut nihil terrenum in mundissimum eius animum ingrederetur, sed in dies in iustitia magis, ac magis crescebat, ne a nomine Iosephi, quod incrementum significat, degeneraret; quod si quidquam levissimi pulveris subintraret, confestim illum excutiebatur. Unde admissum ad illud Apoc. (c. 12) respiciens: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, in eo semper singularissimam curam impendebat, ut ad anteriora se extendens, continuum virtutum incrementum susceperet, quod proprium est viri perfecti, ut praecclare docuit D. Bernardus (in *epist. ad Abb. Gor. Alp.*), dum exponens gradus illius scalae, quam vidit Iacob, pariterque elucidans, cur angeli in ea scala semper viderentur ascendentes, vel descendentes, nunquam tamen quiescentes, in hunc modum pie, et eleganter loquitur: *Nunquam vir iustus arbitratur se comprehensisse; nunquam dicit: satis est; sed semper esurit, sicutque iustitiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, iustior se contenderet, semper de bono in melius proficere conaretur: non enim ad annum, vel ad tempus, instat mercenarii, sed in aeternum divino se vincit famulatus; audit denique vocem iusti: In aeternum non obtineat iustificationes tuas, et rursus: Inclina cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum; et post pauca pulchra haec subiungit: Itaque indefessum proficendi studium, et iugis conatus ad perfectionem perfectior reputatur; quod si studere perfectioni, et velle semper proficere, est perfectum esse, profecto nolle proficere, defecere est. Ubi ergo sunt, qui dicere solent: sufficit nobis, non sumus esse meliores, quam patres nostri? O monache, non vis proficere? non, inquit. Vis ergo defecere? nequaquam, ait: quid ergo manere, inquit, volo in eo, in quo persevero, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hec vis, quod esse non potest. Vidit scalam Iacob, et in scala angelos, ubi nullus residens, nullusque subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi; quatenus palam daretur intelligi, inter profectum, et defectum in hoc statu mortalis vitae nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continetur, aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit et spiritum, aut proficere semper, aut defecere; hactenus divus Bernardus. Tandem id mihi palam facit eximiam d. Iosephi iustitiam, et sanctitatem, quod, cum navis aliqua pretiosissima mercibus plena, in altum tendit mare, quaeri solet id praestare non potest; ita cum Maria esset quasi navis institoris, de longe portans panem suum, coelestium charismatum mercibus onusta, ac variis gratiarum praerogativis locupletissima, solus Ioseph inventus est, qui pretiosissima eius honoris et famae merces asscuraret, quod tanquam divinis numeribus distissimus, perfecte adeo praestitit, ut etiam Sponsam, quam nunquam legerat, gravidam observans, eius honori consensens, minime accusaret, Matthaeo dicente (c. 1): *Cum esset iustus, noluit eam traducere*: quid plura? hoc unum enim modum extollit, quod rationi consentaneum putaverim,*

si Christus naturalem aliquem humanum patrem, ut revera potuisset, habiturus esset in terris, non alium elegerit, quam Iosephum, quem in patrem legalem elegit, atque adeo cisdem divinis charismatibus illum exornasse, quibus naturalem patrem emulasset; maxime cum recte Dominus agnosceret, non minori paterno affectu Iosephum illum fore prosecuturum, quam si naturalis eius pater in terris extitisset. *Iustum* igitur per anthonomasiam illum fecit, qui *iustus* est per essentiam, Iesus, filius Mariae, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA X.

*Ostenditur ex sanctorum Patrum doctrina, et valentissimis rationibus, d. Iosephum, cum beatam Virginem praegnantem dimittere voluit, vel magnum quid, vel saltem nihil sinistram, aut turpe de ea sibi persuasisse; cuius occasione permulta valde utilia contra temeraria iudicia traduntur.*

Scio quidem gravissimos quosdam Patres in eam abuisse sententiam, ut putarent, Iosephum vere dubitasse de Virginis castitate, immo, et iudicasse adulteri ream esse, valdeque exercitium fuisse, quod illam sic intueretur gravidam, quam certissime sciebat se, ne mente quidem, attigisse; fuisse tamen magnae instillatae opus patientiam illatam, sine invidiae absque revelatione, et accusatione. Hi sunt in primis d. Augustinus, qui scribens ad Macedonium (epi. 54. tom. 2.) ait: *Ioseph, cui Virgo Maria, Domini Mater, fuerat desponsata, cum eam comperisset esse praegnantem, cui se noverat non esse commixtum, et ob hoc, nihil aliud, quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit; nec approbator flagitii fuit. Idem (serm. 14. tom. 10.) de natali Domini: Nescit, inquit, interea Ioseph Mariae sponsus, quid cum Maria ageret angelus, subitoque Ioseph intuitu familiaritatis, et licentia maritali aspexit Marianam coniugem suam; vidit eam gressibus gravari, intellexit Mariae uterum gravidari, turbatur Ioseph, homo iustus, quod Marianam nunquam de templo Domini acceperat, et nondum cognoverat, et gravidam sentiebat, et quam non meruerat in coniugii honorem, iam haberet in confusionem, secumque diu disputat, dicens: unde hoc contigit, quod evenit? non cognovi, non noxi, non tetigi, non violavi, non gravidavi; heu, heu, quid contigit? etc. quid ergo faciam? quid agam? anxiior, gemo, curro, consilium quaero, nec penitus inuento; prodo adulterium, aut taceo opprobrium? si prodidero, adulterio quidem non consentio, sed naevum crudelitatis incurro: quia secundum libri Moysis sententiam lapidandam esse cognosco; si taceo malum, consentio, et cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo taceo malum, adulterium prode peius est, non per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio: haec ille, qui similia tradit (homil. 16. de verb. Dom.). Subscribit eidem sententiae*

Iustinus martyr (in dialogo suo cum Triphone) dicens: *Iosephus etiam is, qui Mariae sponsus erat, cum vellet sponsum suam principio eicere, quod eam ex viro gravidantem esse existimaret, id est ex stupro, in visum, et somno ei praecipuum est, ne nocorem suam repudiaret, cum ei dixisset angelus, qui se ei patefecerat, ex Spiritu sancto esse id, quod in utero haberet. Adde d. Ambrosium (de instit. virg. cap. 5.) dicentem: *Quid praedicat Mariae, si coelestis consilii mysterium Ioseph non intelligit, et putavit, virginem non esse, quia praegnantem viderat? Ac tandem, ne in referendis Patrum testimoniis nullus sim, eandem amplexi sum sententiam Hilarius (Cant. 1. in Matth.), Chrysostomus (ho. 4. in Matth. tom. 2.), Euthymius, Theophylactus (in c. 2. Matth.), et Nicephorus (lib. 1. cap. 8. ibid. auct. imperf.); cuius duo habentur magui momenti fundamenta in sacra Scriptura, quorum primum desumitur ex verbis illis: *Quam esset vir iustus, et nollet eam traducere, ubi in Graeco verbum traducere significat exemplificare, vel in exemplum ponere; quem lectionem secutus Augustinus (epist. ad Paul.) verit, et nollet eam exemplare; et (epist. ad Maced.) legit: et nollet eam divulgare; quod latine eleganter translulit vulgatus Interpres: et nollet eam traducere, hoc est, in populi fabulam, aut publicam vulgi sermonem offerre; s. Chrysostomus tradere: Hilarius autem interpretatur, idem esse traducere, quod legere exemplar edere in aliquem, per quod iuste debet condemnari: sed et Theophylactus exponit, idem esse traducere, quod malfestare, seu punire erimen, hancque esse vim huius verbi, non obscure indicant verba Ilii Sapientis (c. 4): Traducunt impios ad aduerso iniquitates ipsorum: quibus consonant modus loquendi d. Pauli, dum (ad Colos. 2.) ait: *Christum Dominum traduxisse confidenter principatus, et potestates; quae omnia confirmantur ex sequentibus verbis: Cum nollet eam traducere, sed occulte dimittere: unum enim alteri opponitur. Secundum fundamentum desumitur ex verbis angeli dicentis Iosepho (Matth. 1): *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: quibus verbis aperte videtur intendi consilium angelus, quietum, ac pacatum illum reddere, ne adulterium suspicaretur: ad id enim indicavit ei, eam de Spiritu sancto conceipisse. Denique duplex optulatur huic sententiae ratio congruentiae. Prima, quod, quemadmodum Deus permisit dubitationem b. Thomae apostoli de Christi resurrectione dubitantis, dubitationisque vulnera curavit, certissimamque de tanto mysterio nos reddidit: simili ratione oportebat, Deum permittere Iosephum de castitate b. Virginis dubitare, ut sic omnino certus nos redderet, tum de Matris virginitate, tum de Christi per Spiritum sanctum facta conceptione. Secunda, ut exemplo suo iustus Ioseph, quomodo coniugali homines, quibus uxoris adulterae misera sors contingit, pie, ac prudenter se habere debeant, doceret: ita sentit d. August. (ser. 16. de verb. Dom. cap. 7. in princ. tom. 10) dicens: *Si solus nosti quia aliquis peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor: attende, quemadmodum******

vir iustus Ioseph tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate peperit, antequam sciret, unde illa conceperat, quia gravatum senserat, et se ad illam non accessisse noverat: restabat itaque certa adulterii suspicio, et tamen quia ipse solus concepit, solus ipse sciebat: quid de illo ait evangelium? Ioseph autem, cum esset vir iustus, et nollet eam divulgare. Mariti dolor non vindictam quaesivit, voluit prodesse peccanti, non punire peccantem; haec ille: quibus consonant alia d. Ambrosii (lib. 2. in Luc. c. 1. in ff. to. 1) in hunc modum loquentis: Pulchre docuit s. Matthaenus evangelista, quid facere debeat iustus, qui pravum coniugis deprehenderit: inventum ab homicidio, casum ab adulterio praestare se debeat. Verum, quia in hac sententia illud adversus eam urgere videtur, quomodo iustus dicatur Ioseph, nolens tradere praegnantem uxorem, et non ex se, cum potius, quia iustus esset, deberet eam fructu, iuxta praecipuum legis (Levit. c. 5): unde d. Hieronymus dicit: Praecipuum est, non solum reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati. Deinde, quia si noluit eam tradere, quia iustus erat, iniustitia fuisset eam tradere; quod tamen nullus concedit, cum secundum legem licitum esset, eam tradere. Ea propter dicendum arbitror in veteri lege, non fuisse praecipuum, ut falso putat Theophylactus, ut mariti adulteras uxores tradere, sed permissum tantum, si eam permittebatur, non praecipiebatur, ut mariti de uxori sine re suspectantes, ad sacerdotem eas adducerent, ut per eorum maledictionem, et potionem, quam illis porrigebant, rei veritas patefere. Quod autem dicit d. Hieronymus, conscios criminum, si taceverint, obnoxios esse peccati, iuxta legem (Levit. 5), intelligitur, ut patet ex contextu ipso legis, de illis, qui adurati a iudice, ut testimonium ferant eius, cuius sunt conscii, indicare renuerint, ut egerit adnotavit Cornelius Iansenius (in Concord. evang. cap. 7). Immo crediderim, si rem alius contemplerim, non potuisse Iosephum iure accusare Virginem ut adulteram, cum ad id probandum careret testibus: quomodo enim probare potuisset in iudicio factum, quem utero Virgo gerebat, a se non esse genitum? nisi dicas: perspecta, et explorata virginis claustrum integritate, et inviolata repta, apertissime comprobati, factum non esse a Iosepho genitum: sed neque id, arbitror, evidentem rem ipsam faceret, cum naturaliter fieri possit, Virginem concipere ex attractione seminis virilis absque violatione claustrum, ut testatur d. Thomas (quodlib. 6. art. 18), et Averroes (2. de caelo), et Mars. (2. q. 13. art. 1. ad 2). Addo, quod potius medium illud explorationis virginis integritatis favore illi, quam noceret; quare existimo, quod in eo casu solum iure potuisset Ioseph Mariam tradere, seu divulgare sacerdotibus, ad quos spectabat, per potum zelotypiae, et maledictionem, quam imprecabantur, et periculum facere de eius fidelitate, aut infidelitate. Quia ergo, licet hoc permissum erat Iosepho secundum legem, non ut legis rigore uti, idcirco dixit evangelista, quod, cum esset iustus, id est, pius, et

sanctus, noluit eam tradere, sed ad Deum orabat, dicens illud Davidis (Psal. 118): Anputa opprobrium meum, quod suspicatus sum. Atque tunc contempletur b. Virginem potuisse merito sibi usurpare verba illa (Canticorum 1): Nigra sum, sed formosa: sicut tabernaculum Cedar, sicut pelles Salomonis: Tu Ioseph suspicaris, me domum esse instar tabernaculi Cedar, sed non sum, nisi ut Salomonis. Cedar quidem filius fuit Agar, quae ab Abraham domo meruit cum filio suo eici (Gen. 21): Etiae ancillam, et filium eius; tabernaculum autem Salomonis fuit sanctuarium, in quo ante aedificationem templi deposita erat arca, et propitiatorium. Unde perinde fuit, ac si diceret: Ea cogitatio, o Ioseph, cruciali animum tuum, quod animaliam hanc domum tuam existimas esse velut tabernaculum Cedar, in quo adulterius filius commoretur, ac propterea de eficienda Matre cum Filio cogitas; sed tua te fallit opinio, non enim sum, nisi velut tabernaculum regis Salomonis, in quo mystica arca humanitatis Christi Domini sub clausura virginis uteri mei delitescit, et in quo etiam continetur propitiatorium, immo, et qui est ipsa propitiatio pro peccatis nostris, Verbum Dei, caro factum.

Illud tamen, cui haec sententia placuerit, advertere oportet, praecitato Patres minime concedere, cum id cum verbis evangelii meo iudicio pugnet, in illa falsa existimatione, quam s. Ioseph habuit de b. Virginis integritate quidquam peccasse; tum quia, cum non agnosceret, nec agnosceret tunc teneretur mysterium incarnationis, et videret uxorem suam praegnantem, cerloque novisset, se nunquam attigisse illam, certe a temerariis iudicii macula liber erat, et immunis prorsus eius existimatio; tum quia forsitan iudicavit illam fuisse gravidam, absque eius tamen culpa, ut si per vim fuisset violata, cui delictio specialis in veteri illa lege erat poena statuta. Quod si defensoris huius sententiae interrogos, cur Virgo Iosephum coelestis conceptus certiorum non fecit, praecavens, ne in illam suspicionem veniret; respondet, quia se, honoremore suum divinae protectionis curae subesse sciebat: si enim de Susanna, cum ab impiis hominibus adulterii accusaretur, dicitur (Daniel. 13): Erat cor eius fiduciam habens in Domino; quid de Dei parente dicendum est? eundem erat cor eius fiduciam summam habens in Deo, qua velut anchora sic stabiliebat, ut ne tenuis quidem trepidationis, vel perturbationis fluctus illud dimoveret: potuit Ioseph ipse vultus virginis serenitatem, modestiamque illis diebus admirari, quae recti mentem consciam satis indicabat: adultera enim foemina virum timet, fugit, eo viso exalbescit, ventris tumorem legit, ac premit; Virgo contra, nec virum timuit, nec fugit, nec eo viso unquam exalbescit, nec ventris tumorem aut pressit, aut occultavit, Dei providentiae se totam commisit. Neque vero decepta est; adfuit cordi confidenti Deus.

Alii Patres in oppositam e diametro sententiam abeuntes, docuerunt, b. Iosephum agnovisse altissimum incarnationis mysterium, idque significasse evangelistam, cum dixit (Mat-

th. 1): Inventa est habens de Spiritu sancto: inventa, exponit d. Hieronymus, a Ioseph, qui licentia pene maritali omnia nocerat uxoribus arcana: aiunt ergo illum, prae singulari sua modestia, ac humilitate, Matris Dei consortio indignum se iudicantem, stultissime in animo suo illam dimittere, memorem illius, quod dictum est Moysi (Exod. 3): Ne appropies huic, soecae calcemina de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Certe Petrus similiter humilitatis spiritu ductus, illam protulit vocem (Luc. 5): Exi a me, Domine, quia homo peccator sum: quibus etiam consonant verba illa humilia d. Ioannis Baptistae (Ioan. 1): Non sum dignus solvere corrigiam calcemini: atque in huius figuram dicitur de David (2. Reg. 6): Timuit introducere arcam Dei in domum suam: prae magna enim sua humilitate dicebat: Quomodo ingredietur ad me arca Dei? Amplexatus est haec sententiam in primis Origenes (in Mat. c. 1), dum ait: Iustus erat Ioseph, et illa Virgo immaculata erat; sed ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, et sacramentum quoddam magnificentum in eadem cognoscebat, qui appropinare se indignum existimabat: ergo humilians se ante tantam, et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere; haec ille. Cuius personam lego apud d. Basilium (hom. 25. to. 1) dicentem: Inventa est gravida de Spiritu sancto: ambo incenit Ioseph, et conceptionem, et causam, quod de Spiritu sancto: quapropter timeas eiusmodi mulieris vir nominari, clanculum ipsam dimittere veluit: non enim ausus publicare, quomodo res ipsas haberent; cum autem esset iustus, assecutus est mysteriorum revelationem: nam, dum haec ipsa animo versaret, angelus Domini apparuit ipsi pro somnium dicens: Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam; nec illud cogita, quod suspicionibus absurdis, et obumbratis peccatum: iustus enim appellatus es: non est viri iusti incognitas silentio conterege; ne timeas, accipere Mariam coniugem tuam; ostendit, quod non moleste tulit, neque fastidivit, sed timuit ipsam, veluti Spiritu sancto repletam: et in illa verba angeli (Matth. 1): Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, idem sanctus Doctor ostendit, quod Virginem Ioseph non sit abominatus, nec moleste tulerit, sed quod eam metuerit, ut Spiritu sancto plenam: haec ille; quibus non possum egregia d. Bernardi verba, etsi permulla, non subiungere: ait enim: Quare voluit dimittere eam? Accipit et in hoc, non meam, sed Patrum sententiam; propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellere dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum: propter quod et Centurio a domo sua illum prohibebat, cum diceret: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; ita ergo et Ioseph indignum, et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali, et a tanta non debere sibi ultra familiarit praestari contubernium, cuius supra se mirabilem exarscescibat dignitatem: videbat, et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne, et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Exparit Petrus potentiae magnitudinem; exparit Centurio praesentiae maiestatem; exhorruit nimirum et Ioseph, sicut homo, huius

tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem, et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris; quod occulte praegnantis sese consortio Virginis indubitat indignum, cum audias, et sanctam Elizabeth eius non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem, et reverentia; ait namque: unde hoc mihi; ut veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam; sed quare occulte, et non palam? ne videlicet discordii causa inquireretur, exigeretur ratio, quod enim vir iustus responderet populo durae cervicis, populo non credenti, et contradicenti? si diceret, quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox in creduli, et crudeles Iudaei subsannarent illum, lapidarent illum? quando namque veritati credentem tacenti in utero, quam postea contempserunt clamantem in templo? quod faceret necdum apparenti, et qui postmodum impiis manus intincerat, etiam miraculis coruscant? Merito ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogereur innoxiam, voluit occulte dimittere eam. Hanc eandem opinionem sequuntur Cancellarius parisiensis (tom. 4. in epist. ult. inquit. fest. d. Iosephi scripsit) ait Dei parentem, antequam ad Elisabetham invisendam abiret, stupendum incarnationis mysterium charissimo sponso aperuisse; obstupuisse vero, ut par erat, Iosephum, et de coniuge dimittenda, quod illius convictu esset indignus, cogitasse. Et Vigilius (in theol. institut. cap. 20. §. 9) tradit, sanctitatis splendorem effulgentem post Christi conceptionem in inlegritatem Virginis vultu in admirationem Iosephum rapuisse: et paulo post: lamquam indignum ab eius consortio se voluisse se puerare.

Tandem horum Patrum sententiae subscribit alii gravissimi doctores, Theophylactus (in locum hunc Matth.), Richardus (de S. Viatore (ibid.)), Ekus (ibid.), et Salmeron (to. 2. tract. 3), favetque illi insigne testimonium ex revelatione sanctae Birgitae (lib. 7. c. 25) facta, cuius verba sunt haec: Postquam consensu nuncio Dei, Ioseph videns uterum meum virtute Spiritus sancti intumescere, exparit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrae, sed recordatus dicta prophetarum praenunciantium, Filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tibi servire matri, donec angelus in somnis praecipit sibi non timere, sed cum claritate mihi ministrare. Confirmant eandem sententiam rationes meo iudicio non parvi momenti. Prima desumitur ex variis verbis ipsius textus: Inventa est in utero habens de Spiritu sancto: continet in enim haec legenda sunt, ne manifesta vis literae inferatur: unde d. Basilium (hom. 25. to. 1) exponit: Inventa est gravida de Spiritu sancto: ambo incenit Ioseph, et conceptionem, et causam, quod de Spiritu sancto. Eandem expositionem secutus Theophylactus (super c. 1. Mat.) dixit: Vide, quid dicat: quoniam inventa est in utero habens. A quo inventa est? a viro; hoc est, innotuit, quod ex Spiritu sancto concepit; unde clam voluit eam dimittere, et non audebat habere uxorem, quae tantam haberet gratiam. Deinde sacer textus ait: cum esset iustus, noluit eam tradere: quae autem quae in ista est, quae iudicat re non compta, et

manifeste explorata, sed ex coniectura facile expugnabili? quae haec iustitia, quae, antequam exposuisset, et interroget, damnat? immo etiam, quod damnat, non puniit? nec puniri vult, immo impunem censet dimittendam adulteram? Secunda: quia si vera est eorum sententia, qui dicunt, Iosephum, paulo post angeli annunciationem, et conceptionem Christi, voluisse dimittere Virginem, certe tunc nullus potuisset fuisse tumor ventris, unde illam gravidam suspicaretur: nec etiam admissio, post tres menses observasse in illa tumorem illum, efficac argumentum id erat, esse praegnantem, cum ille ex aliis causis potuisset venire: praecipue quod, cum eximia Virginis sanctitas perspecta satis esset Iosepho: noverat enim admirandum eius natiuitatem, praeter omnium expectationem; praesentationem eius, cum triennis esset, in templo; famam integritatis vitae illius; votum, quo virginitalatem suam Deo sacrauerat; miraculosam cum illa desponsationem, virga eius germinabile, et Spiritu sancto super illam in forma columbae comparente, ut auctor est d. Hieronymus (*lib. de ortu Virg.*) non facile igitur adulterum sibi persuadere poterat. Item, impie, ac sine ulla misericordia ageret, dimittere uxorem absque libello repudi contra praecceptum legis (*Deuter. 24*): in eo autem libello, si causam exponeret, ut lege tenebatur, et coram leuitibus, ut mos erat, nec confictus libellos possent existimari, quomodo verum est, ipsum non voluisse eam traducere, et publicare? E contra vero, si causam taceret, certe omnibus gravis scandalum occasionem dedisset, ut qui sine causa, et temere praeclearae indolis adolescentulam, de ipso gravidam existimantem, repudiasset. Demum, non repugnabat ullo modo aequitati habitare cum uxore adultera, modo id fieret ad corrigendam errantem, eamque a scelere ad meliorem frugem revocandam: nam id officium esset charitatis, et eminentioris perfectionis iustitiae: nam, si ut Apostolus (*1. Cor. 7*) inquit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*; e contra etiam, sanctificabitur mulier infidelis per virum fidelem: et nulla lex sacra, ut existimat b. Augustinus (*ser. 26. de verb. Dom. et epist. 54. ad Macedonia.*), cogebat virum ad deferendam coniugis impudicitiam; nec lex *Levit. 30.* nec *Deut. 22*: quod autem (*Prov. 8*) dicit Sapiens, *qui tenet adulteram, stultus est, et insipiens*, non damnat virum tenentem illam ad corrigendam, sed tenentem adulteram incorrigibilem, et quae in adulterio manere vult. Hinc facile fuit Ioseph aliis causis tumorem illum tribuere, et non adulterio; alioquin ex levi coniectura in temerarium iudicium prolixisset.

Tertia ratio: nam quae, quando Ioseph invenit tumorem ventrem, ut isti aiunt, ante salutationem Elisabeth, an postea? certe ante salutationem dici non potest, quia cum tunc nullus tumor urti esset, nulla poterat subesse suspicio; constat autem ex Luca, statim post annunciationem in illis diebus ascendisse in montana cum festinatione, et visitasse Elisabeth; ergo post salutationem accidisse ascendendum est: nam post exactos illos tres men-

ses in domo Zachariae poterat uterus intumescere. Rursus quaero: fuit ne Virgini Mariae Ioseph comes in illa professione, an non? et videtur, quod omnino illam sit comitatus, ut expresse docent d. Bonaventura (*in medit. c. 3.*), et Vigerius (*in instit. c. 20. §. 8.*), quos sequuntur multi recentiores; cum ea potissimum ratione divino consilio fuisset tanquam verus maritus illi assignatus, ut custodiret illam, essetque ei perpetuus, et individuus comes, ac minister, et inviolatae eius pudicitiae testis; quomodo ergo potuisset novus sponsus Virginem puellam, ac teneram ad iter agendum alteri committere, cum ipse ad eius curam esset delectus? unde cum profecta est in Bethlechem, et fugit in Aegyptum, illam perpetuo associavit. Deinde, quia Virgo ad Elisabetham invisendam prope tempus paschale profecta est, pascha enim quattordecima die mensis Nisan agebatur, qui aprilis nostro, martique respondet; Virgo autem vigesima quinta die mariti concepit, et paulo post ad Elisabetham profecta est: ergo cum ratione coniunctissimam est, Iosephum illius vitae comitem: siquidem omnes viri paschali tempore ierosolymitanum templum adibant: si ergo profectus cum illa est domum Zachariae, ut est rationi, et pietati consentaneum, certe audivit illa verba Elisabethae exclamantis (*Luc. 1*): *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* quomodo igitur Ioseph eiusmodi verba audiens, sinistram aliquid de Virgine cogitasset? vel, nunquid surdus erat, vel stultus, aut incredulus ad haec in spiritu dicta, vel ad eanticum sponsae suae, vel Zachariae? Quod si proterve dixeris, quod is non interfuit, saltem haec, quae erant divulgata in omnia montana Iudaeae, referentibus ceteris accepisset; et si pius esset, credidisset, vel quaevisset a Virgine, quae certe ab illo non celasset hanc veritatem.

Quarta ratio: quia non videtur verisimile, quod si Ioseph ignorasset incarnationis arcanum, Maria Virgo, etiam non quaesita, ei non patefocisset; tum quia sponsa secreta sua cum sponso communicare debet, maxime, ut videt omnem zelotypiam, atque suspicionem; tum quia Elisabethae a se visitatae mysterium omnino apertis verbis explicaverat, cui tamen minus debebat, quam proprio sponso; tum quia Virgo non putasset Ioseph fore incredulum, cum mysterium hoc a prophetis fuisset praenuntiatum, et eius complendi tempus immineret, et signum virgae suae reforescens in desponsatione visum satis illum ad fidem praestandam incitasset.

Ultima ratio: quia si Christus Dominus noluisset Iudaeos de Matris suae pudore sinistram aliquid cogitare, atque ob eam causam voluisset Matrem eius desponsatam, maluitque reputari Filium Ioseph, quam quod quisquam turpem de Matre sua opinionem conceperet; quanto magis rationi consentaneum est, noluisse Iosephum eius virum de tanta Virgine horrendum adulterii scelus suspicari? et quidem, cum Dominus virgineae Matris suae pudicitiae, et honoris illius zelatissimus fuerit, fuisset qui-

dem angelo, quem ad Iosephum misit, ut eum reprehenderet, sicut et Abraham de risu in Sara reprehensus, et Thomas de incredulitate, et Apostoli de tarditate fidei in Christi resurrectione. Hanc ergo sententiam, tot sanctorum Patrum testimonio corroboratam, ac nervosis rationibus munitam, non possum non valde probabilem, ac piam iudicare; ad eius tamen maiorem probabilitatem stabilendam oportet, ut ea, quae illum infirmare videntur, proponamus, et diluamus. Illud sane contra illum valde argere videtur, quod causam, quam angelus reddidit, cur sit Virgo refinenda a Iosepho, eandem praecitati Patres reddunt, cur illum vir eius dimittere volerit; ex quo videtur haec sententia angeli verbis non cohaerere: nam si propterea Iosephus relinquere uxorem volebat, quia divinitus Filium Dei concepisset, non dixisset angelus (*Matth. 1*): *Noli timere, accipere coniugem: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: respondere enim posset Ioseph; ideo illum ego dimittere volo, quia ex Spiritu sancto concepit; non enim cum ea habitare audeo, quae tanta sanctitatis, et dignitatis est. Deinde evangelista affirmat, Iosephum, quia vir iustus erat, noluisse Virginem traducere, id est, infamiae nota afficere, sed voluisse tantummodo dimittere: ergo suspicabatur, conceptum illum non laude, sed ignominia dignum. Ac tandem, quia si Iosephus ex Spiritu sancto Virginem concepisse nosset, imprudentiae fuisset non modice illum dimittere, e contra vero prudentiae, ac pietatis, velle illi inservere, et ab eius consortio nunquam se moveri. Respondere potest ad haec, Theophylactum (*super cap. 1. Matth.*) praecitata verba angeli in hunc modum exponere: *Tu quidem times adiungi illi, quia ex Spiritu sancto concepit, sed ne times accipere*: est enim uxor tua, et a Domino dictum est: *Propter hanc relinquet homo patrem, et matrem, et adheret uxori suae*: graece etiam illa particula, quam veritatis interpret pollet, ac sane, vel certe. Sapientissimus Salmeron eandem Theophylacti expositionem acceptans, conformem esse ait hebraico cuidam codici Matthaei, qui in hunc modum dicebat: *Ne times, ut accipias Mariam coniugem tuam, quia id, quod natum est intra eam, de Spiritu sancto est*, id est: ne times accipere eam in coniugem tuam ob hanc causam, quia, quod natum est de ea, de Spiritu sancto est, sed cognosce in hac re necessariam esse operam tuam, ut Dei Patris officia exhibeas: unde continuo subiunxit angelus (*Matth.*): *Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum*, id est; pater eris in omnibus, excepta copula coniugali, quam supplevit Spiritus sanctus; per actum enim impoſcendi nomen significavit angelus integrum officium paternum; sicut per actum pasceſcendi (*Joan. 22*): *Pasce oves meas*, significavit Christus plenam potestatem, et iurisdictionem, quam Petro tradebat. Quod si cui durum videatur verba illa componere, quae videbantur disiungenda, meminerit quaeſo, non minus durum esse, ea, quae sunt coniuncta, dividere: nam, cum dicitur (*Matth. 1*): *Inventa est in utero, habens de Spiritu sancto, quidam contendunt, haec di-*

videnda, et disiungenda esse, quasi tantum Ioseph inveniret eam praegnantem, non praegnantem de Spiritu sancto: sicut ergo illi haec dividunt, non possunt, qui haec sententiam seclantur, coniungere illa (*ibid.*): *Noli timere, accipere Mariam*, ob eam causam, quod concepit de Spiritu sancto.

Illud autem, quod de imprudentia obicitur sancto Iosepho, nullius momenti est, quia velle eam dimittere, ex affectu humilitatis processit; unde, sicut nemo dicit, imprudentem fuisse d. Petrum, aut Centurionem, quod ille societatem, hic ingressum Christi in suam domum recusat, ita nec Ioseph imprudentiae adscribi potest, quod vellet tunc a Virgine discedere, indignum se reputans eius consortio.

Inter extremas has sententias supra comprobatae, ego mediam viam probabiliorum existimo; nimirum, b. Iosephum, cum uxorem praegnantem vidisset, non existimasse quidquam mali de b. Virgine, sed nec quidquam boni, sed summa perplexitate cruciatum viriliter suspensioe iudicium, illud Ecclesiastici (*cap. 20*) in memoriam revocans: *Deprime cor tuum, et suscipe verba intellectus, et ne festines in tempore abductionis*: non desunt gravissimi Patres, qui huius sententiae adhaerent; nam in primis Chrysostomus, vel quicunque alius auctor imperfecti (*sup. cap. 1. Matth. hom. 1*) ait, quod cum variae cogitationes in Iosepho hinc, velut duello mirando, praerantur, nam graviditas adulterium redolebat, sanctitas vero Virginis illud explodebat; uterus intumescens turpitudinem suadebat, ad castitas Mariae Ioseph satis perspecta, violatam eius virginitalatem non patiebatur credere; sensus urgebat, aliquid turpe ibi adesse, at ratio pugnabat, sanctitati Virginis magis fidendum, quam uteri tumore credendum; cum, inquam, Ioseph variis cogitationum fluctibus huc, et illic ageretur, *tantum vir iustus*, inquit Chrysostomus: *O inaequabilis Mariae laus! magis credebat castitati eius, quam utero intumescens; plus gratiae, quam naturae: conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat; possibilis creditur, mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare: reddens autem rationem, quare nihil mali suspicatus fuerit Ioseph, ait: Quoniam auditio verborum Mariae, et consideratio vitae eius mala suspicari de ea non sinebat Ioseph; consideratio autem conceptionis eius non permittebat eam ad plene bona aestimare de ea; et sic animus eius inter utraque partes fluctuabat, et tenere eam timebat, et tradere eam non audebat: propter hoc necessaria fuit ei revelatio divina: haec ille.*

Adstipulatur eidem sententiae d. Hieronymus, dum opinatur, Ioseph nihil mali suspicandum fuisse de b. Virgine, sed latuisse illum tunc mysterium incarnationis, et in admirationem raptum, suspensioe iudicium: verba Hieronymi sunt haec: *Hoc testimonium Mariae est, quod Ioseph sciens illius castitatem, et admirans, quod viderat, celat silentio, eius mysterium nesciebat: subscribit eidem Aymon, dum (in vig. Natio.) ait: Cur dimittere eam voluit? ideo scilicet, quia nec totum sciebat, nec totum ignoravit. Noverat in utero habentem non de carnali*

concupit, sed spiritali virtute; de quo vero Spiritu conceperit, ignorabat, quod ei aperitur, quasi nescienti de Spiritu, dum inducit, saneto: et Glossa ordin. (in 1. cap. Matth.) ait: Sciebat illam esse inculpabilem, sed unde, vel quid esset, ignorabat; et ideo mediam elegit viam effugiendi, ut neque innocentem prodiret, neque rei incognitae consentiendo se reum faceret coram Deo. Vera virtus est, cum nec pietas sine iustitia, nec sine pietate iustitia, quae separatae ab invicem dilabuntur. Faventque eidem sententiae non parum verba Matthaei (c. 1): Haec eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph: ex quibus non obscure colligitur, quod nondum deliberaverat, nec determinate indicaverat, Virginem quidpiam turpe commisisse, sed tantum apud se variis cogitationibus agitari, variasque rationes hinc, et inde emergentes atenta meditatione explorasse. In quo sane prudenter se gerebat, dicente Ecclesiastico (cap. 34): Vir in multis expertus, nulla cogitabit; non solum autem in eo prudentem, sed virum prodigiosae iustitiae, et bonitatis se ostendit, cum Sponsae tumentem utrum, et ad sensum indubitata conceptus signa videns, neque exposulavit ab uxore, nec quaestus est apud affines, nec zelotypiae ardore excauduit, nec in ius Sponsam vocavit, aut ad subeundam poenam exposuit, sed aestu suo apud semetipsum pressit, tantum de divortio cogitans, ut indicat evangelista dicens (Matth. 1.): Occulte coivit cum dimittere: haesitans enim, ob quasdam rationes, adulterium metuebat; ob alias rursum, ab hac cogitatione revocabat, quod exploratos haberet inculpatisimos uxoris mores, Spiritumque divinum undique sese prodere in ipsis oculis, gestu, inessu, et sermone, fierique posse non dubitabat, ut ex Deo, a quo necesse est pendeat omnis foeminarum conceptus, uxor eius novo modo conceperet; maxime quod non ignorabat vaticinium Isaiae (c. 7.): Ecce Virgo concipiet, et quod iam proximus erat adventus Messiae, iuxta Danielis computationem in suis hebdomadibus: metuens ergo, se divinam maiestatem offensurum, si aut servaret, quam adulteram timebat; aut traduceret, quam infamiae periculo, quam ex Deo concipere poluisse antumabat, nec voluit illam traducere, nec servare, sed occulte dimittere. Quam autem modum in dimittendo illam decrevisset, non est una omnium sententia: nam Rupertus et Abulensis, quos secutus est Simon de Cassia, fugam fuisse mediatam, sicut fecit David, aiunt; quod et faciliter non pauci propter diversos rerum eventus. Cornelius vero Lanseius ait, voluisse illam dimittere, libello repudiato, quem secreto, et non in publico dari poluisse existimat: nec infirmitat hanc Cornelii sententiam, quod objicit Abulensis, non potuisse libellum repudiari, nisi consummato matrimonio; tum quia verba legis (Deuter. c. 24) nullum prorsus verbum habent de matrimonii consummatione; tum quia, si permissum erat eo tempore libellum repudiari dare uxoris infidelibus post consummatum matrimonium, et ablata virginitate, cur non etiam ante sine tanto detrimento dimitterentur? quia lamen existimo, libellum non potuisse dari, nisi publi-

ca auctoritate, ut sic insipientibus fidem faceret, et ne quisque pro suo arbitrio libuisset, libellum daret; ideoque verisimiliter conseo, Iosephum voluisse dimittere Virginem per famam, non per libellum, alioquin volens non traducere, traduceret eam.

Illud tamen minime silentio praeteribo, quid secundum hanc mediam sententiam, quam iuxta multorum Patrum auctoritatem, veriorum censemus, dicendum sit ad objectionem illam, quod cum Ioseph comitatus fuerit Virginem usque ad domum Zachariae, non potuit incarnationis mysterium ignorasse, cum palam de illo collocutae fuissent Maria, et Elisabeth. Quidam recentiores Interpretes, ut hanc difficultatem fugiant, fatentur Iosephum intermatam Virginem non fuisse in illo itinere comitam; quod plane videtur sensisse Lyrano (supra 1. c. Matth.), dum ait: De licentia Ioseph aibi ad cognitam suam; ipsa autem redeunte, vidit Ioseph utrum eius gravidam; et Gratiano in vita s. Ioseph refert, eo tempore occurrisse fabrice quoddam officinum, quod recusare non potuit s. Ioseph, et ob hoc impedimentum non fuisse comitam Virginem: sed quia in hanc sententiam minime gentium duci possum, propter rationes, quas supra commemoravi, facilius crediderim divino consilio factum esse, quod ob aliquam rationem nobis ignotam, quamvis Ioseph comitatus fuerit b. Virginem, colloquio illi inter ipsam, et Elisabeth non adfuerit; vel si adfuit, impeditum fuisse, ne mysterium incarnationis agnosceret; sed quod per angelum postea ipsi innotuit, propter multiplices fructus ex perplexitate illa Iosephi postea percipiendos.

Porro ex hoc illustri Iosephi exemplo, velle, nos edoceri primum, negotia, quae occurrunt, antequam censuram eorum feramus, diligenter discuti debere, iuxta illud Iob (c. 29): Causam, quam nesciebam, diligenter investigabam: sic Daniel diligenter examinavit illos duos senes, antequam morti adiudicaret: et Salomon sapientissime exploravit contentioem illam duarum mulierum, et prudentissime illam diremit: immo, et Festus noluit subito Paulum iudicare, priusquam accusaretur, et audiret, eiusque causa perspicua fieret; praeterea, quod omnia haec longe superat, Deus ipse, ut sacra Genesios refert historia, tametsi infinita sapientia praeditus, et quem nihil latere potuit, descendit ad exemplum nostrum, ut videret aedificatores turris Babel, priusquam eos puniret: et similiter priusquam Sodomitae igne de caelo cadente, destrueret, dixit (Gen. 19.): Descendite, et videbo: et quidem, si adhuc nulla pendentes, saepe hallucinamur, et aberramus, necesse est in plures prolabi errores, si atenta meditatione varia, quae menti occurrunt, non discussimus.

Secundum documentum, idque apprimè necessarium, quod ex facto d. Iosephi elicere debemus, est, ut sicut ille gravidam intens Sponsam, nihil temere de ea iudicavit, sed Iudicium suspendit, non secus nos de proximorum gestibus, etiam quidpiam mali praesertim videantur, temerarium iudicium non feramus, sed omnem temeritatem cohibentes, in eorum

potius excusationem, quam criminationem proponendam. Certè, si falsa, ac temeraria iudicia, quae sacra commemorant eloquia, in medium mihi proferenda essent, non possent sine foedio legentium referri; praecipua tamen silentio praetere non debeo, ut inde discamus temeraria coercere iudicia. Posteaquam Assuetis infensus fuit contra Aman, cum hic iaceret supra lectum, rogans cum pro salute sua, suspicatus est statim rex, quod reginam vellet opprimere. Laban illico iudicavit, quod Iacob asportaret deos suos, cum tamen cum explorasset, non invenit eos. Fratres Ioseph ad convivium invitati, crediderunt, quod si vellet eos servituti subiugare, Abraham putabat quod in Geraris occideretur pro uxore sua, et tamen non fuit illa. Discipuli Domini timebant Pauli adhaerere, cum tamen esset conversus. Holi videns Aman sibi non respondendum, existimavit cum ebram esse. Misit David, qui consolarentur Hanon propter obitum patris, et tamen eives suspicati sunt, quod causa explorandi venissent. Proficitur Samson a sponsa, ut parentes suo visitet, et putat socer eius, quod ex odio sponsae fureret, et alteri illam nupsit. Vaghae cubicularius Holofernis facile iudicavit Holofernem cum Iudith dormire, re tamen ipsa aliter se habente. Iobum patrem coram arca Dei saltante, impudorem illum animi levitati tribuit, tamen non nisi pietati, et humilitati ascribendum erat. Amici Iob impatientem iudicaverunt Iobum, patientiae speculum, dicentes (c. 4): Defecisti conturbatus: ubi est fortitudo tua, patientia tua? Cum Ieremias iret per portam Benjamin, custos portae falso ei imposuit, quod confugeret ad Chaldaeos. Uxor Tobiae videns eum coecum dixit (c. 2): Manifeste vana est spes tua, et eleemosynae tuae modo apparuerunt. Discipuli videntes Christum supra mare ambulare, continuo phantasma esse iudicaverunt. Pharisaeus ille, qui Christum invilaverat, videns mulierem peccatricem ad pedes illius, nec illam a se expulisse, iudicavit illum non esse prophetam. Alius item pharisaeus, videns publicanum orantem, male de eo suspicatus est. De coeco nato discipuli eius interrogarunt: Quis peccavit, hic, aut parentes eius? temere indicantes, coccitavit illum ex peccato ipsius, vel parentum provenisse. Cum in cruce Christus dixit: Ego Ego, temere Iudaei iudicantur, Eliam vocasse in auxilium suum. De Apostolis variis linguis loquentibus dixerunt Iudaei, quod ebrui erant. Melienses videntes viperam pendentem de manu Pauli, homicidium cum esse crediderunt; viperam vero excussa, cum nil mali haberet, cum Deum esse promulgantur; quod ebrui erant. Melienses videntes viperam pendentem de manu Pauli, homicidium cum esse crediderunt; viperam vero excussa, cum nil mali haberet, cum Deum esse promulgantur; et in utroque temeraria estimatione se praecipitauerunt: sicut, et olim pater eorum diabolus temere indicans, quod si Deus Iobum affligeret, ac variis laboribus vexaret, amissa patientia, maledictione in illum insurgeret, cuius iudicii temeritatem exilus ipse probavit: ait enim Scriptura (Iob 1.): In omnibus his non peccavit Iob.

Andiamus iam Patres, quid in hoc genere argumenti dicant. D. August. (in Ps. 147.): Perniciosum est, cum quis male senserit, forte de bono nesciens, qualis sit: quid perdo, si credo, quia bonus

est, utrum sit? Si incertum est, malus, licet quidem coecos non forte verum sit, non tamen damnes, tanquam verum sit: hoc patet: subet: quare pacem, et sequere cum d. Bernardus (sup. Cane.) hanc egregiam sententiam docuit: Cave, alienae conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, maxime autem excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum: quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicitur apud te: vehementer fuit tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in similitem potestatem? S. Ioan. Clim. (grad. 10. suae scalae) maiora his postulat dicens: Etiam si in ipso animae a corpore digressus, quempiam peccare eideris, nec tunc quidem illum damnare audeas: incertum est enim hominibus iudicium Dei: subdit (ibid.). Sicut elatio sola, absque alio vitio comite, perdere se habentem potest, ita et iudicandi vitium, etsi solum in nobis fuerit, perfecte nos perdere valebit; siquidem pharisaeus ex hoc condemnatus est. Tandem b. Laurent. Iustin. (lib. de spir. anim. inter.) haec, quae sequuntur, ingenuo, et pietate eius digna scripsit: Hinc quorundam praesumptuosorum est redarguendo temeritas, qui nedum proximorum opera discutunt, verum etiam alieni cordis se faciunt iudices: volunt quippe iudicare, quales sint hominum cogitationes, quibus dicuntur affectionibus, qua intentione operentur, quare spiritu moreantur, quod omnino non licet; cum nemo scire valeat, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in illo est, tanquam persaepe contingat, quod sibi ipsi ignotus sit; dicimus in se falsos reflectent auctoritatem, quae interiorum sola est capax, dum intentionum, cogitationumque ab illa penetrare posse se putant. De his legitur sic: Ambulabat in tenebris, sicut in meridie; porro quemadmodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi sunt, qui mentium proximorum profunda consilia curiosa investigatione perustrant, et ex hoc iudicia temeraria confingentes, in nocte ignorantiae ambulantes, meridiem se aspectibus exultant. Tales Apostolus redarguens ait: Nolite ante tempus iudicare, quodvis peccavit Dominus, et qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Praecavenda prorsus sunt a fidelibus ista iudicia, quae absque peccato fieri nequeunt; cum ex quadam cordis, ut plurimum, temeritate procedant: ipsi soli cordium sunt humiliter reservanda iudicia, qui in aegritate iudicantur esse orbem. Hanc Patrum doctrinam confirmemus et nos tum sacra Scriptura, tum et ratione. Audi d. Paulum tu, qui proximum temere iudicas: si enim loquitor (ad Rom. 2): Tu quis es, qui iudicas alienum servum? in quo enim alium iudicas, teipsum condemnas. Quod si a me scisciteris, in quo se condemnat, plane in hoc, quod laesae maiestatis divinae reum se exhibet, auctoritatem arca cordis iudicandi, quod proprium est solius Dei, sibi petulantur usurpans: ut enim dixit d. Ioannes Climacus (in sua scala gra. 10): Iudicare est impudens direptio divinae dignitatis. Praecipiebatur Dominus in Levitico (c. 10), ut septem diebus leprosus clauderetur: non permisit Deus sacerdotem fa-



fissimus Ioseph habuit Iesu, et Mariae, non obscure adumbratam reperio in illo antiquo paradiso, in quo constituit Dominus primum hominem principem rerum omnium, cui commisit custodiam paradisi, et maxime ligni vitae, et fontis illius perennis, ex quo irrigatur orbis. Lignum vitae Christus est; fons perennis, et signatus, ex quo aqua vitae processit, sanctissima est Dei Genitrix; Ioseph praepositus est a Domino, ut custodiret paradysum, et fabrilis arte operaretur, atque labore suo Dei Filium, et Matrem aleret.

Practerea alio etiam titulo noster Ioseph patris Iesu nomen meretur, quia patrinus eius fuit; est autem manifestum, patrinum *patrem* appellari, immo quoddam spirituales paternitatis dignitatem contrahere: Ioseph enim in circumcissione Christi, quae tunc instar baptismi erat, patrinus eius fuisse non obscure constat: quia, ut d. Hieronymus (*test. 4. opus. p. 1.*) ait, minister fuit illius circumcissionis; vel, si non fuit, ex divino tamen oraculo nomen Iesu illi imposuit, ut docent d. Bernard. (*ser. 1. de circum.*), et Ephrem Syrus (*orat. de Trans. Dom.*) ex illo, *Patris filium, et vocabis nomen eius Iesum*: in quo cum obiter id dicam, magna etiam laetate nostri Iosephi lausnam si Adami grandis dignitas esse censetur, quod nomina animalium imposuerit: quod *vocavit Adam, ipsum est nomen eius*; absque ulla comparatione maior erit Iosephi dignitas, quod nomen imposuerit non creaturae, sed creatori, tanquam proprium Dei. Refert regius Vates, quod Deus stellas numeret, et eis nomen imponat (*Psal. 146*): *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*: aliquid tamen isto excellentius Deus ipse Ioseph communicavit, dum non stellas, sed ei, qui numerat stellarum multitudinem; non astra, sed ei, qui nomen illis imposuit, ipse nomen imponat. Quod, si deinde Naaman Syrus, ut legitur (*4. Reg.*), vocabatur *pater* a famulis suis, quia patronus, et gubernator illius familiae esset: *Pater, et si rem grandem tibi dixisset propheta, certe facere debuisses*: hoc etiam titulo, et ratione merito beatissimus Ioseph dignus est *patris Iesu* nomine donari, cum Marianae illius familiae caput, rector, et gubernator esset, a deo ut recte et convenienter davidica illa verba (*Ps. 104*): *Constituit eum dominum domus suae, et principem omnium possessionis suae*: in cuius figura Ezechiel (*c. 10*) regnum Dei videns in curru, tria praecipue notavit: thronum, principem, et cherubinum currum gubernantem: thronus erat Maria; princeps Iesus; ductor, et gubernator Ioseph.

Extant tamen, praeter hos omnes titulos, duo alii potiores, ob quos praecipue b. Iosephus Christi *Patrem* merito vocari debere arbitror. Primus est, quem nemo ignorat, nam maritus uxoris, quae ex priori matrimonio liberos procreaverat, ipse quidem, licet eos non genuerit, filios vocat, et ipsi vicissim patrem illum compellant; si hoc ergo ita se habet, ut experientia notissimum est, potiori iure Ioseph pater Iesu nuncupari debet, et Iesus filius Iosephi dici: nam filii uxoris ex primo matrimonio geniti alium humanum patrem

habuerunt, et cum illi nati fuere, maritus secundus cum eorum matre adhuc matrimonium non contraxerat; in praesenti tamen mysterio, nec Christus alium humanum naturalem patrem habuit, neque extra coniugium Mariae cum Ioseph iam celebratum natus, nec conceptus fuit Christus. Est ergo magis cum ratione consentaneum, Iosephum patrem Christi appellari, quam secundum illum maritum, ut eleganter adnotavit. Epiphanius (*haer. 78*): *Secundus titulus, et omnium potissimus, ob quem beatissimus Ioseph Christi pater cognominari debet, in omnium ore versatur, scilicet, quia iure matrimonii corpus b. Virginis erat ipsius Iosephi, Apostolo dicente (1. Cor. 7): Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*: unde necesse erat, Iosephum patrem Christi esse non generatione sua, sed generatione Mariae uxoris suae, operante Spiritu sancto, qui vires Iosephi quodammodo gessit, non virili semine, sed mystico spiramine. Unde sicut iura disponunt, ut constat ex §. *cum in suo solo, versiculo, ex diverso*, quod in alieno solo nascitur, vel aedificatur, sub illius dominio cadit, cuius est solum: ex quo aperte constat, quod si arbor, vel fons miraculo nasceretur in horto alicuius, ad dominum horti pertinere; et in l. *etiam si frumentum, §. penultimo, ff. de rei venditione, et in l. 2. c. eodem titulo*: et in aliis pluribus iuribus habetur, quod id quod seminatur, vel plantatur in fundo alicuius, statim, ut in terram radices egit, efficitur eius, cuius est fundus, aut terra illa: ac tandem in l. *adeo ff. de acquirendo rerum dominio*, dicitur, quod si arbor posita in proprio fundo radices miserit in vicinum, communis utriusque domini fit arbor, et fructus; unde apud Matthaenum (*c. 13*) legitur, quod quidam conscius cuiusdam thesauri in fundo alieno latentis, fundum emit, ut fundi dominus factus, thesauri in eo absconditi dominum acquireret. Quare, cum terra virginea, in qua semen illud divinum, Verbum scilicet aeternum, seminatum credimus, in qua arbor illa vitae plantata fuit, in qua sanctum illud germen, quod in Patris corde radicatum erat, radices egit, et ex qua tandem fons ille aquae salientis in vitam aeternam erupit, ad Iosephum, tanquam dominum illius spectaret; ad eundem etiam pertinet speciali iure arbor, fructus, germen, et fons, et quidquid in ea natum est. Fateamur ergo opus est, Iosephum supremum paternitatis ius, excepta naturali generatione, in Christum Dominum habuisse, tanquam in fructum, et Filium natum ex utero virgineo Mariae, cuius dominum iure matrimonii Virgo ipsa in eum transtulerat. Quod si, ut eadem iura disponunt, partus sequitur ventrem; manifeste inde fit, quod sub cuius dominio cadit praegnans, sub eodem cadat foetus: immo iuxta doctrinam d. Augustini, ut habetur (*cap. quod, dist. 33. q. 5*), bona omnia uxoris, non eius, sed viri arbitrio iacent, sic enim ait: *Nihil de tua veste, nihil de tuo auro, vel quocumque pecunia sine arbitrio eius, id est viri, facere debuisti*: et in eadem epistola ad Ediciam, unde verba relata desumpta fuere, subdit: *Coniugatae non licet dicere: facio, quod*

*velo de meo, cum ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est, viri sui*. Unde Theodosius, et Valentinianus imperatores in l. *hae leg. C. de pactis convent.* et in l. 2. ff. de adoptionibus scripserunt: *Bonum est, mulierem, quae seipsam marito committit, res etiam eiusdem pari arbitrio gubernari: quibus consonat illud Homerii (lib. Iliadum) fingentis, Immonem Iovis uxorem noluisse absque eius impetrata facultate ad reconciliandum Oceanum cum Thetide, ut significaret, non solum bona, sed et propriam libertatem, quae nullo venditur auro, non tam suam, quam sui mariti esse; cuius fabulae Plutarchus etiam meminit (lib. 11. de legibus), ut probaret, nec per testamentum quiddam debere uxorem erogare, inconsulto, aut invito viro suo: unde Cancellarius parisiensis haec contemplans dixit: Cur igitur non competat ipsi Iosepho ius aliquod legale ultra ceteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea, et ex ea carne, cuius dominum iure matrimoniali vere translatum erat in ipsum?*

Ceterum, iam excellentiam, ac miram huius dignitatis celsitudinem, ut Ioseph Christi pater vocaretur, explicare, variisque modis illustrare properamus. Non solum vera theologia, sed, et fides catholica nos docet, paternitatem, qua prima persona Pater est unigeniti Filii sui, proprietatem esse ad intra incommunicabilem, ad extra vero nulli eam communicavit per unionem hypostaticam, ita ut sicut ratione illius Christus vere dicitur Filius Dei aeternus, ita, et quispian hominum Pater aeternus veraciter nominaretur, adeo enim nomen Patris Christi sibi soli Deus reservaverat, ut diceret (*Heb. 1*): *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium*; nihilominus tamen volens Iosephum hoc indelicite honore cohonestare, *Patris* nomen sibi soli proprium commune illi fecit, paternam suam dignitatem, quoad decenter fieri poterat, ei communicans: immo Spiritus sanctus, quamvis viri operam in Christi generatione divina sua virtute suppleverit, *Patris* nomen minime sibi arrogavit, ut docet Angelicus Doctor (*3. q. 32. art. 3*), sed Iosepho illud reliquit: unde sicut Pater aeternus in coelo Filio suo ait (*Psal. 109*): *Sede a dextris meis*: crediderim quidem non semel Iosephum, ad mensam assidentem Christo dixisse: *Fili, sede a dextris meis*.

Oliveri Artaxerxes in epistola, quam centum viginti provinciis sibi subditis scripsit, ut eas certiores faceret de magna auctoritate, et dignitate, quam ille obtinuerat, ait, eum ad illud honorem culmen ascendisse, ut *pater* noster vocaretur, et adoraretur ab omnibus, post regem secundus: si ergo tanta dignitas erat, Artaxersem *patrem* vocari gentis illius, quid quaevis erit Dei Patrem appellari? et si revera magis Baptistae excellentiam non parum commendat, quod sancte adeo viveret, ut ab Hebraeis non paucis verus Messias existimaretur, quamvis revera non esset; non potest non in magnam beatissimum Iosephi honorem, ac insignem commendationem cadere, quod *Christi pater* putatus fuerit, et a Spiritu sancto, angelico, et Mariano ore *pater* fuerit vocatus; unde adeo dicere de sanctissimo Iosepho, nonnulla Pauli (*Heb. 1*) verba mihi u-

surpans: *Tanto maior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit; cui enim angelorum aliquid dicitur: Pater meus es tu? Non diffleat, quod Adamus pater orbis terrarum appellatus sit a Salomone (Sapient. 10); Abraham pater multarum gentium (Gen. 13); Ioseph pater regis Pharaonis (Gen. 45)*; sed haec quid sunt, si cum cognomine *patris Dei* comparentur? Scio d. Lucam (*c. 1*) Davidem vocasse patrem Christi, dum ait: *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius*; huius tamen nominis encomium a longe et compelebat, quatenus Christus ex prosapia eius longa generationum serie intermedia descendebat; qua etiam ratione multi scelerati homines eiusdem genealogiae Christi patris dici possent: ad noster Ioseph, quantum, seclusa naturali generatione excogitari potest, verus Christi pater, et omnium proximorum exiit, cum revera pater maritus, et consanguineus Mariae esset, quae vera Christi Genitrix erat. Sane, si Christum Dominum non parum honorasse existimamus, dum in lectulo crucis iacens, filium Mariae illum constituit dicens Matri (*Joan. 19*): *Ecce filius tuus*: ego sane tanto maiorem arbitror praesentis Iosephi favorem, dum in patrem suum illum elegit, ut elegisse testantur verba Virginis (*Luc. 2*): *Ecce pater tuus, et ego*, quanto paternitas propter superioritatem, quam importat, filiatione praestat, et quanto Christus Mariam praecellit. Unde non dabilo, quin sicut Elisabeth exclamans, dicebat (*Luc. 1*): *Unde hoc mihi, ut ventit mater Domini mei ad me?* sic et noster Ioseph diceret: unde hoc mihi, ut Mater Domini mei uxorem mea sit? unde tantum mihi honor, ut eius sponsus sim, cuius Deus Filius est? Deinde ad dignitatem patris aeterni subditum sibi habere filium: quid autem gloriosius, quam quod Ioseph mortalis homo Iesum verum Deum sibi subditum, atque ad nutum obedientem sub potestate sua habuerit, ut clare indicant verba d. Lucae (*c. 2*): *Et erat subditus illis*? Semel docet sacra Scriptura (*1osue 10*) retrocessisse horeologium solis undecim lineis ad imperium regis Ezechiae; semel etiam tradit, Iosue soli impetrasse, ut cursum suum cohiberet, et non ultra moveretur: *Obediente Deo vocis hominis, ut ait sacer textus*; semel etiam Ioannes Baptista sibi subditum habuit Christum in Iordane, dum illum, insigne humilitatis exemplum nobis praebentem, baptizavit; in quo superioris manus erga illum exercuit: ad Ioseph soli iustitiae non semel, sed milies imperavit; puer Iosue legem statuit, quando domi consisteret, quando ab ea egressurus esset; et ut alter Iosue ei dicebat: *Ne movearis, nunc pedem fige, nunc propra*: et ille patris sui Iosephi observantissimus promptissime ei obediebat, et vestigia eius sequebatur, cum aliquin esset ille, de quo Ioannes (*Apoec. 1*) dicit: *Et sequuntur Agnum, quocumque ierit*. Hoc sane inauditum superioritatis genus omnem tam humanam, quam angelicam auctoritatem transcendere haud difficile erit comprobare. Certe Christo Domino, tanquam supremo omnium creaturam monarchae, omnia oportet esse subiecta, et voluntati eius efficaci, velint, nolint, obedire

debet: mare quidem obedit, dum super illud, tanquam super firmam, ac solidam terram deambulabat, Petrusque deambulare fecit: terra ei obedit, dum ad imperium eius monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum surrexerunt: instabiles etiam venti, et procellae ei obediunt: Quis est hic, quia venti, et mare obediunt ei? daemones obediabant, dum ad imperium eius a corporibus, quae obsidebant, egrediebantur: inexpugnabilis mors ab his, quos possidebat, voci eius subaudiens, longius recedebat, quoties mortuos ad vitam revocabat. Quid plura? certe Apostolo dicente (ad Philip. 2): In nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum, etiam superni coelestiae eius voci obsequentes, ab eius voluntate nec latum unguem recedunt: Omnes sunt administratori spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis (Heb. 1): sed, et stellae ei promississime obtemperant, ut ait Baruch (c. 3): Stellae caeli vocatae sunt, et dixerunt: Assumus. Et quod isthaec omnia longe antecellit, ea quae omni entitate, et existentia caret, quasi revera existenter, et obsequuntur: Vocatae ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt (Rom. 4). Vocavit lucem, quae non erat: facta lux, et facta est lux: vocavit firmamentum, quod non erat: facta firmamentum, et factum est firmamentum: quae obediunt ei etiam quae non sunt. Si igitur caelestia tam caelestia, quam terrestria, et quae in infernis sunt, Christo Domino obediunt, et Christus obedit Iosepho; consequens est, omnia obedientiae Iosephi subesse, et potestatem, ac auctoritatem eius, omnem, non dicam terrenam solum, sed et caelestem potestatem longo intervallo antecellere: hoc enim argumentationis genere Theophrastus Graecorum rex, ut retulimus supra ex Plutarcho, inferebat, filio suo Dyaphanto omnia Graeciae regna subesse: Filius meus, aiebat, imperat uxori meae, et uxor imperat mihi, et ego tibi Graeciae; ergo etiam Dyaphantus eidem tibi Graeciae praesert. Recte ergo, et eleganter dixit insignis ille Cancellarius parisiensis (serm. de nat. Virg.): Haec subiectio sicut inestimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Iosepho: quid enim subditus, quam quod ei, qui in femore scriptum habet: Rex Regum, et Dominus Dominantium: ei, cuius nomen est: Deus fortis, Pater futuri saeculi: ei, qui Dominus exercituum vocatur; ac tandem ei, qui dicit: Mihi curvabitur omne genu, Ioseph unus patris auctoritate imperet; et ille filiali subiectione ei subsit, et obediat, ac dicat Pater, facta voluntas tua: quod nos aeterno Patri orantes dicere ipse docuit in oratione dominica?

Ad haec cum officio paterno quid magis conueniunt, quam alere filium, et maxime in infantia, et pueritia, cum filius propria industria victum sibi comparare non potest? Sane inestimabilis est Iosephi laus, ut ei, de quo ait David (Psal. 144): Aperis tu manum tuam, et implet omne animal benedictione; ille manum suam aperuerit, porrigens ei potum, et cibum; et illi, de quo idem (ibid.) testatur, omnia alere animalia: Tu das illis escam in

tempore opportuno; ipse per multos annos fabrilis artis labore acquisitam escam exhibuerit, et necessaria ad victum, et vestitum subministraverit? unde nulli melius, quam Iosepho, Christum dicturum arbitror in die iudicii, quod ipse pollicitus est (Matth. 25): Euerit, et dedisti mihi manducare; stitit, et delicti mihi bibere; nudus eram, et cooperasti me. Immo, si rem altius contemplerur, cum Christus Dominus ex alimento, quo utebatur, maiorem in dies sanguinis quantitatem acquisierit; sane, cum pretiosus ille sanguis pretium fuerit inestimabile nostrae redemptionis, opus est etiam concedamus, Iosephum auctori salutis nostrae materiam subministrasse sudore vultus sui, labore manuum suarum acquisitam, ad conficiendum pretium pro reparatione generis humani aeterno Patri in ara crucis exsolvendum: unde eo modo, quo purae creaturae concedi potest, crediderim Iosephum, et Mariam Christi fuisse in redemptione generis humani praestantissimos coadiutores, et consequenter ipsis maioribus obligationibus vinculo, quam reliquis omnibus sanctis, totum genus humanum devinctum esse.

Ac tandem, quod longe reliqua omnia superat, ex hoc palerno Iosephi munere erga Christum colligitur eximius, ac ardentissimus illius erga eundem amor, cum revera filii ex gratia non minus, quam ex natura, procreati diligantur, ut docuit d. Ambrosius (l. 1. de off. c. 7) dicens: Non enim eos minus diligo, quos in evangelio genui, quam si in coniugio suscepissent: non enim evehentur est natura ad diligendum, quam gratia: haec omnia adeo celeberrimam tibi orbi reddunt nostrum Iosephum, ut in eius laudibus decantandis impures etiam angelicus spiritus esse putem, ut qui patris Christi dignitatem omnino comprehendere non valeant: unde quae Christus dixit verba (Matth. 11): Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare; non solum de Patre aeterno, sed et de Iosepho, patre eius pulchro, satis verificari autumo. Quare, sicut olim quidam orator, ut auctor est Sabellicus, postquam multis encomiis Philippum Macedonum regem ad coelum usque extulisset, ultimum colophonem orationis suae praebens, dixit: Hoc unum dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum; sic ego, gloriosissime Ioseph, cum laudes tuas digne depromere non valeam, hoc unum, quod bene infinita in se complectitur, dixisse sufficiat, filium te habuisse Deum. Quare si Paulus gloriabatur dicens (Act. 17): Ipsius enim et genus sumus; sane Deus ipse veracissime dicere potest de Iosepho Patre suo legali, et Matris suae consanguineo: Ipsius enim et genus sumus. Tum vero si, Salomone id attestante (Proc. 10. 13. 15): Filius sapiens laetificat patrem: quanta Iosephi laetitia, quamque ingens laus erit filius infante sapiens, in quo, ut Apostolus inquit (Coloss. 1), sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei? Sane, cum Filii sapientia sit plane infinita; non potest, non Iosephi patris eius gloria quamdam dignitatem infinitam inde mutare. Fateatur ergo tam humana, quam angelica facultia, eius in laudibus decantandis con-

nino se imparem esse, et quas verbis digno prosequi non potest, religioso silentio veneretur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Pulchra sanctissimi Iosephi Deiparae Mariae sponsi, cum antiquo illo Iosepho Patriarcha comparatio; quam tam multiplici sanctorum Patrum eruditione, quam variis animi conceptionibus locupletamus, ac Virginem fuisse comprobamus.*

Non paucos scriptores in eo hallucinari animadverto, quod paucissima de beato Iosepho expresse sacros evangelistas edixisse autumant; quod mihi e contra eos facilitasse videtur, cum praecipua capita omnium, quae de b. Iosepho nostrae cognitionis subesse iure desiderari possent, diserle telexerint. Nam, si nomen ignoras, Iosephum vocatum dicunt: Jacob autem genuit Ioseph: si genus, et prosapiam, ecce aperte iniquum, ex regali progenie ortum de domo David, et anglico ore filius David vocatur: si morum eius conditionem, et vitae rationem cupis tibi innotescere, minime illam silentio praeterent, sed compendiosam potius quamdam de moribus, et vita illius, ut aiunt, informationem evangelica auctoritate contestata tibi reliquerunt, Mattheo dicente; Ioseph autem, cum esset iustus, noluit eam traducere: si deinde statum eius nosse desideras, cum Maria idem nuxoratum tradunt; Ioseph, virum Mariae. Quod si adhuc arcanas eius cogitationes tibi patefieri, et reserari postulas, illas etiam manifestat, dum aiunt: haec autem eo cogitante. Quid plura? non solum quae in vigilia, sed quae ipsi dormienti, et somnianti acciderunt, palam tibi aperiant, dicentes: Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Haec omnia adamussim praefigurata reperio in patriarcha illo Ioseph, quem beatissimi nostri Iosephi, Virginis sponsi, typum gessisse unanimes est Patrum sententia: et quamvis non ignorem, d. Bernardum (serm. de Ann.), et alios praesentis collationis inter hos duos Iosephos egregium argumentum perlepide, et eleganter prosequutos fuisse, quae illi tamen praetereire, nostrum erit adiungere, non actum agere videamur. Et quidem, si a nomine exordiamur, eodem uterque gaudet, quod augmentum, seu incrementum significat, ut multi volunt: ad quod videtur alluisse Jacob, cum filio suo Iosepho dixit (Gen. 49): Filius accrescens: quod in nostrum Iosephum satis convenire noscitur; tum quia cum alii sponsi virginitate minuantur, ipse per matrimonium cum Maria virginitatis, et aliarum virtutum singulare incrementum suscepit; tum etiam quia, sicut antiquus ille patriarcha sic appellatus fuit, quia ad illud honoris augmentum perventurus erat, ut lotius Aegypti prorex, et secundus a rege futurus esset; sic noster Ioseph ad tanti honoris culmen ascendit, ut Christi pater nominaretur, et Dei Genitricis

veris maritus esset, quod non solum imperialem, sed, et apostolicam dignitatem longe antecellere arbitror, ut suo loco demonstravi. Sed nec silentio praeterebo, quod Ioseph hebraice, si credimus illius idiomatis peritis, patriarcham arborem significat, quod et Iosepho mirifice congruit, cum sub protectionis eius umbraculo melius, ac securius, quam animantia sub Danielis arboris umbra, Iesus, et Maria acquirerint, et a rapacibus herodianis accipitris unguibus sua protectione ipse eos liberaverit. Alii tamen ex hebraeo contendunt significare filium fructiferum, vel crescentem iuxta fontem, vel iuxta oculum: unde Pagninus vertit, ut Ioseph idem sit, quod ramus fructificans iuxta fontem, vel iuxta oculum: quod et nostro Iosepho recte consentit: nam infans ille, quem ipse amplexabatur, eius pedes saepe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, ac permuta virtutum opera exercebat, omnium bonorum fons erat uberrimus. Bene ergo iuxta fontem crevisse dicitur Ioseph, vel iuxta oculum; iuxta oculum enim Christi versabatur, quem ipse, ut pupillum oculorum suorum diligebat. O felicem arborem, tali irrigatum fonte, ad maximum incrementum pervenisse, quis quaeso ambigit?

Quod si Moyses antiqui Iosephi historiam referens, honorifico iusti cognomine patriarcham illum honestavit, idem sane cognomen evangelista nostro Iosepho tribuit: Ioseph autem, cum esset iustus. Immo observaverim quattuor insignes Iosephos divina eloquia commemorasse; Iosephum proregem Aegypti; Ioseph ab Arimathaea, qui Christi sepulchrae operam dedit; Iosephum Barsabam, super quem ad apostolatam missae sunt sortes; et Iosephum Virginis sponsum, quos etiam omnino iustos cognominant: nam Sapiens (c. 10) loquens de patriarcha Ioseph ait: Haec venditum iustum non detulit. De Ioseph ab Arimathaea Lucas (c. 23) ait: Vir, nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, et iustus. De Ioseph Barsaba Lucas (Act. 1) scribit: Ioseph, qui cognominatus est iustus. Ac tandem idem evangelista (Matth. 1) de nostro Ioseph sermone instituit, ait: Cum esset iustus, noluit eam traducere. At nostri Ioseph iustitia tantum illorum iustitiam, quantum et dignitas antecellit maxime, si absque lethali crimine, ut certissime credo, et docet d. Augustinus (l. 6. de nat. et gra.); vitam transiit, et in ventre materno fuit sanctificatus, ut docent Cancellarius parisiensis (ser. de nat. V. et in Ioseph.), et Episcopus Christianopolitanus (super Magnificat), quibus moderni non pauci consentiunt; immo eruditus noster Bernardus de Busto (in marial. 4. p. ser. 12), postquam refulerat opinionem cuiusdam dicentis, divinitus praeservatum fuisse ab originali culpa, non audiens illum dammare, ait: Utrum autem Ioseph ab originali macula praeservatus fuerit, ipse Deus novit, qui talem in patrem sibi putavit, et gubernatorem suae humanitatis, et dilectissimae Matris suae coniugem super omnes homines elegit. Si patriarcha Ioseph nobilitate conspicuus fuit, quippe qui ex illustribus